



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Petrus ab Alcantara. 19. Octob.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

ius sententiam intellexerit, accendetur desiderio, sanctitatis. si minus verbo, exemplo certè Evangelium doce, nimirum abnegatione, mundi contemptu, amore Dei; quæ omnia Christus præcepit in Evangelio. An probas obedire te præcipuis Evangelii præceptis? Hanc quotidie meditare sententiam. *Quid prodest homini si universum mundum lucretur, anima vero sua detrimentum patiatur.*

2. Hic sanctus fuit Comes & adjutor S. Pauli in Evangelii ministerio. Quinam sunt comites tui? anii, quorum exemplis accendaris ad virtutem? ô te felicem? si sodalem nactus esses similem S. Pauli, nam brevi tempore æquares D. Lucæ sanctitatem. Fuge nefarios cœtus. Ne dubites, quam habes cum malis amicitiam, dissolvere. *Melius est habere malorum odium, quàm consortium* Isid.

3. S. Lucas primus omnium Mariam pinxit. Vis egregium illud exemplar exprimere? Exemplo S. Lucæ imitare puritatem, humilitatem, & pietatem Mariæ. Vult enim B. Virgo, ut his coloribus cum suam tum filii sui imaginem in corde tuo depingas. *Deus factorem signorum suorum querit, non pictorem.* Aug.

## S. PETRVS ab Alcantara.

19. Octob.

*Si quis vult venire post me, abneget semetipsum, tollat crucem suam quotidie, & sequatur me.*  
Christus Luc. 9.



**H**ic est, qui Ordinem S. Francisci per Hi-  
 spanias ad primum rigorem, exemplo ri-  
 gidiſſimæ vitæ ſuæ reduxit. Hic est, de quo S.  
 Theresiæ revelatum, nil, ejus nomine postu-  
 latum, à Deo denegari. Hic est, qui familiaris  
 Deo, principum & Caroli V. etiam fastidivit  
 congressum. Hic est, qui cum corpore suo pa-  
 ctum iniit, nunquam illi dare in vita requiem:  
 hinc ei semper inedia, vigilia, verbera & acu-  
 lei ferendi. Hic est, cujus baculus terræ infi-  
 xus floruit: qui fratres suos vacua in domo  
 coelesti de penu pavit: qui nungente cœlo op-  
 pressus à nocte, inter intectos muros, pro for-  
 nice ipsas coeuntes nives habuit, ut siccus sta-  
 ret. Hic vir est, quem charitatis incendia, ne  
 suffocaretur, in campos frequentem expule-  
 runt, ut respiraret: quem contemplationis  
 sublimitas, etiam corpore gloriosè radiante,  
 in aëra non rarè elevavit: cui prophetiæ do-  
 num & spirituum internotio de cœlo data:  
 cui mortis hora præcognita: quem tertio &  
 sexagesimo ætatis anno sanctè morientem,  
 Theresia longè posita eodem momento co-  
 gnovit glorioso comitatu cœlo inferri: quip-  
 pe eidem S. Theresiæ paulò post in gloria spe-  
 ctabilis narravit ingentia suæ poenitentiae in  
 cœlis præmia. Hic deniq; Petrus, illustris mi-  
 raculis



raculis, etiam post mortem, inter Divos Ec-  
clesiæ à Clemente X. Anno M. DC. LXX. so-  
lenni ritu est annumeratus. *Breviarium.*

MEDITATIO.

*De vita S. Petri ab Alcantara.*

1. **O**rdinis Austeritates non explebant sitim ejus  
patiendi; iis quippe graviore addebat. Pri-  
mùm æquo animo patiaris, quæ necessariò pati debes,  
ut vocationis tuæ sanctitatem consequaris: tum volun-  
tariæ afflictiones accedant interdum. Si licitis absti-  
nueris, non admittes illicita. *Quanto facilius illicitati-  
nebit, qui licita verebitur.* Tert.
2. Deum præsentem assiduè cogitabat; quid impe-  
dit, quo minus identidem animus tuus in cælum avo-  
let, & quidem ex mediis negotiis? singulis horis offer  
Deo, quod agis, & quod pateris. Actus amoris & a-  
ctus contritionis momento fieri possunt.
3. Tantùm amavit proximum suum, ut toto pe-  
ctore incubuerit in ejus conversionem. Postquam  
Ordinem suum in tota Hispania ad strictiorem viven-  
di modum redegit, convertendis aliis hominibus acri-  
ter operam dedit. Primùm omnium attende tibi, de-  
inde aliis omnibus qui tecum iisdem in ædibus moran-  
tur. Plus profunt exempla quàm verba. Oportet, ut  
de Christiano, maximè si religiosus sit, jure possit di-  
ci: ore, habitu, incessu, modestiâ se probat religio-  
sum, ut olim Tertullianus de Philosopho. *Ipsè habitum  
sonat, auditur Philosophus, dum videtur.*

SS. CA.